

la, praesertim quia adstantes sciebant *Naaman*, utpote ex idololatria ad verum Deum iam conversum, id non facere intentione idolum colendi, sed unice obsequium politicum vi muneris sui regi praestandi, ut ex dicendis magis patebit. Sensus ergo verborum *Naaman* ad prophetam, ut *Cornelius a Lap.* ait, fuit iste: « Peto, o *Elisee*, facultatem, ut curvante se rege in templo *Remmon*, ad idolum hoc adorandum, liceat et mihi regem sustentanti curvare me, non ad adorandum *Remmon*, sed ut hoc obsequium et servitium regi meo praestem, ad quod ex officio meo tenero tam in templo, quam alibi, ne gradu et dignitate apud regem excidam. Rex enim solet inniti super me; quare quocumque ipse se flectit et vertit, ego pariter me vertere et flectere debeo. » Ex his patet, verba illa *Naaman* loc. cit. ad *Eliseum* dicentis: *Si adoravero in templo Remmon*, non intelligenda esse de adoratione idoli, seu proprie dicta et religiosa (sic enim fuisset impia et idololatraria) sed solum de adoratione impropria, scilicet incurvatione corporis, vel genuflexione obsequii causa, ut scilicet regem ex officio sibi commissio fulciret et sustentaret in templo, quemadmodum et alibi facere sueverat; quod facere non poterat, nisi rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret. Id ipsum etiam patet ex paraphrasi chaldaica, quae ita habet: « Cum intrabit Dominus meus in domum *Rimon* ut adoret ibi, et ipse innixus fuerit super manum meam; et incurvavero me in domo *Rimon*, incurvante me in domo *Rimon*, ignoscat Dominus servo tuo in re ista. » Alia ergo fuit adoratio regis, alia *Naaman*; rex enim proprie

(1) Genes. c. 25, v. 7.

adorabat idolum suum *Remmon*: *Naaman* vero adorabat improprie, id est, curvabat se, ut regi suo se curvanti accommodaret, eumque sustentaret et honoraret. Unde haec eius adoratio non erat religiosa, sed politica et civilis: sicut *Abraham* (1) adoravit filios *Heth*, id est, iis reverentiam exhibuit, et *Abigail* (2) adoravit, id est, venerata est *Davidem*. Taceo alia exempla, in quibus Scriptura verbum *adorare* adhibet, ubi nullus divinus aut religiosus, sed duntaxat civilis seu politicus honor alicui exhibitus est. At

DICES I. *Naaman* cooperabatur regi adoranti idolum *Remmon*: ergo cooperabatur eius idololatriae. *Remmon*. Negando consequentiam. Cooperabatur enim regi ad actionem duntaxat naturalem, scilicet ad curvationem corporis, non autem ad moralem, vel ad intentionem regis, quae erat curvando se idolum adorare. Sic si christiana quaedam captiva cum sua domina fanum ethnicum ingrederetur, ibique manu teneret extremam dominae vestem, ne posset in pavementum defluere; atque ita, domina se inclinante in terram, illa pariter, servitio suo id postulante, sese inclinaret, profecto non peccaret, si non intenderet per hoc aliquam reverentiam exhibere idolo. Aliam paritatem adhibet *Caietanus*. Nobiles, inquit, comitantes suum regem euntem ad concubinam, non peccant, quia non comitantur eum, ut vadat ad fornicandum et peccandum, sed comitantur eum duntaxat, ut alias comitari solent, honoris et obsequii causa, ceu famuli domini suum.

DICES II. *Naaman* dedit scandalum aulicis et aliis circumstantibus; putabant enim ipsi, eum cum rege

(2) I. Reg. c. 25, v. 25.

adorare idolum *Remmon*. *Remmon*. Nullum fuit scandalum, tum quia sciebant *Naaman* ex officio teneri ad sustentandum regem in hac corporis curvatione, nec aliud ipsum nisi hoc servitium politicum intendere: tum quia *Naaman* publice abdicarat idola et profitebatur cultum veri Dei Israelis. Postquam enim eum *Eliseus* septena in Iordane lotionem mundavit a lepra, Deum Israelis unicum Deum credere se dixit, et a propheta petiit, ut sibi liceat, israelitica humo duos mulos onerare, quam secum in Syriam deferret, ad Deum Israelis colendum. Permisit *Eliseus*, illius fidem admiratus, qui Syriae humum sacrificiis Domino offerendis indignam, impuramque, nullamque nisi israelitiam, huic muneri sufficientem putaret. Verba sacri textus (1) sunt: « Descendit, et lavit in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei, et restituta est caro eius, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit et stetit coram eo, et ait: Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel... obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo deprecaberis Dominum pro servo tuo etc. » Ubi sensus posteriorum verborum est: « Concede ut possim tollere de terra tua tantum quantum possunt ferre duo burdones, id est muli; ut ex ea quasi sancta erigam in patria mea altare Deo Israel,

(1) IV. Reg. c. 5, v. 14-19.

(2) Comment. in IV. Reg. c. 5, v. 17.

(3) In epist. sua, tom. 2, *Geographiae sacrae*.(4) Dissertatione praefixa lib. IV. Reg. in qua discutit: *Quid Naaman concedi si-*

quem solum verum esse Deum ex hoc miraculo sanationis meae agnosco, veneror et amo. » Unde verisimile est, ait *Cornelius a Lap.* (2), *Naaman* circa suum altare erexisse templum vel sacellum, in eoque cum tota familia sua Deum verum coluisse, ac multos alios ad illum ibi colendum induxisse.

68. SCHOLION: Singularem hac de re sententiam tenet *Samuel Bochartus* (3), *Calmetus* (4), et non pauci alii asserentes, *Naamanum* non fuisse veniam deprecatum pro adoratione in templo *Remmon* in posterum faciendam, sed ob iam factam et praeteritam. Sic enim nodum Gordium uno ictu se scidisse putant hi auctores, omnesque difficultates a deistis, aliisve incredulis hic obiectas evitari. Et profecto, si haec sententia subsisteret, cessarent omnes deistarum cavillationes ad initium huius quaestionis a nobis recensitae. Si enim *Naaman* post agnitionem et confessionem veri Dei solummodo veniam praeteritorum petiisset, et *Eliseus* sic contritum de venia obtenta fuisset solatus, *vade in pace*; nihil esset, quod deistae aut in *Naamano*, aut in *Eliseo* hic cum apparentia difficultatis reprehendere possent: ut consideranti facile patet. Verum hoc non obstante, nolim illam *Bocharti* et *Calmeti* etc. sententiam amplecti, eam potissimum ob causam, quia, ut cl. *Ignatius Weitenauer* (5) recte observat, *Naaman* tam in textu hebraeo, quam graeco et chaldaeo loquitur in tempore futuro: *Adorabo*, inquit, seu *me incurvabo in templo Remmon*. Nam

bi postularit ab Eliseo, ut coram Remmon sese prosternere liceret.

(5) In sua germanica versione bibliorum, in nota ad IV. Reg. c. 5, v. 18 adiecta, p. 200.

in textu hebraeo verbum יהוה יתברך

quod *incurvabo* significat incipit a litera *Vau*, terminationem autem habet temporis quidem praeteriti, sed cum accentu in ultima syllaba: quod infallibile signum est futuri temporis. Similiter in textu graeco dicitur in tempore futuro: *Καὶ προσκυνήσω ἐν οἴκῳ Ῥεμμάν* *Et adorabo in domo Reman.* Nam totus versus ita sonat: *Καὶ περὶ τοῦ λόγου τούτου Ἰλάσεται μοι κύριος τῶ δούλῳ σου ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι τὸν κύριόν μου εἰς οἶκον Ῥεμμάν προσκυνήσαι ἐκεῖ, ὅτι αὐτὸς ἐπαναπαύσεται ἐπὶ τῆς χειρὸς μου, καὶ προσκυνήσω ἐν οἴκῳ Ῥεμμάν ἐν τῷ προσκυνεῖν αὐτὸν εἰς οἶκον Ῥεμμάν, καὶ ἰλάσεται μοι κύριος τῶ δούλῳ σου ὑπὲρ τοῦ λόγου τούτου.*

« Et de verbo hoc propitiabitur mihi Dominus servo tuo, quando ingredietur dominus meus in domum Reman ut adoret ibi, quia ipse requiescet in manu mea, et adorabo in domo Reman, quando adoraverit ipse in domum Reman, et propitiabitur mihi Dominus servo tuo pro verbo hoc. » Denique etiam textus chaldaeus loquitur in tempore futuro hoc modo: *לפתגמא הדין ישבוק יי לעבדך במעל רבוני לבית רמון למסגד תמן והוא סמך על ידי ואסגוד בית רמון במסגדי בית רמון ישבוק יי לעבדך בפתגמא הדין* « In hac re ignoscat Dominus servo tuo, cum intrabit dominus meus in domum Rimon ut adoret ibi, et ipse innixus fuerit super manum meam, et incurvavero me in domo Rimon, incurvante me in domo Rimon ignoscat Dominus servo tuo in re ista. » Vide Polyglotta biblia card. *Ximenii*, ex quibus haec descripsi. Relicta igitur *Bocharti*, *Calmeti* et aliorum in praesenti quaestione sententia, nobis sufficit

(1) Comment. in IV. Reg. c. 9, v. 27.

(2) Vide *Calmet* dictionarium bibl. vocabulo *Gaver*.

prior responsio num. 67 data et stabilita, ac a communi interpretum adoptata. Eam praeter plures alios amplectuntur *Abulensis*, *Lyranus*, *Caietanus*, *Serarius*, *Sanctius*, *Cornelius a Lap.*, *Tirinus*, quos, si lubet, consule.

69. QUÆRES LXII. *Quomodo* (4. Reg. 9, v. 27) *Ochozias dici possit iussu Iehu percussus in ascensu Gaver, quae sunt fauces non longe a Hierusalem: cum tamen* (2. Paralip. 22, v. 9) *Iehu dicatur Ochoziam comprehendisse latitantem in Samaria, adductumque ad se occidisse?* R. *Ochozias vulneratus est in ascensu Gaver; fuga tamen elapsus, latuit in Samaria, ubi comprehensus, et ad Iehu adductus, et occisus est. Vide Menochium* (1), *Calmetum* (2), aliosve interpretes.

70. QUÆRES LXIII. *Sitne credibile, unicum angelum* (4. Reg. 19, v. 35) *una nocte interfecisse 185000 assyriorum? Item, fueritne iste angelus bonus, an malus? Et cur non ipsum etiam assyriaci exercitus principem Sennacheribum occiderit? Denique, cur historici ethnici et profani de stupenda hac strage nil meminerint?* R. Ad PRIMUM. Id nullatenus incredibile est, praesertim si angelorum summam in movendo et agendo celeritatem consideremus. Praeterea cum angelicae naturae potentiam et vires non perfecte perspectas habeamus, hoc ipso imprudentissime negatur virtute angelica produci posse effectum, quem ab angelo productum fuisse, s. Scriptura tot ac tantis divinitatis notis insignita expresse testatur. Ceterum de modo, quo angelus interfecit illos assyrios, sunt diversae explanationes, quas *Abulensis* (3) accurate recenset. Tradunt hebraei, et cum iis *Abulensis* et *Caietanus*, assyrios ab

(3) In IV. Reg. c. 19, q. 29.

angelo igne occulto (quem *Iosephus* pestilentiam vocat) fuisse percussos, neque hanc hebraeorum sententiam ss. *Hieronymus* et *Thomas* videntur improbare. Plura hac de re vide apud *Abulensem* (1), et *Sanctium* (2).

AD SECUNDUM R. Sive fuerit angelus bonus, sive malus, strages illa assyriorum ab illo certissime est effecta. Ceterum fueritne bonus, an malus, discors est auctorum sententia. *Abulensis* (3) hunc angelum, quia Scriptura (4) eum vocat *angelum Domini*, censet bonum fuisse, et quidem *Gabrielem*, aut *Michaëlem* synagogae praesidem. Alii putant, tam hunc, quam illum, qui primogenita aegyptiorum percussit (5), fuisse daemonem, ut a libi (6) insinuari videtur: vocari autem illum *angelum Domini*, quia Dominus Deus daemone utitur tanquam iustitiae ministro ad puniendos impios. Neque patres hac in re conveniunt. Nam *Origenes* (7) generaliter censet, Deum daemonum opera dumtaxat uti, cum mala in homines immittit. Alii vero patres plurimi, teste *Calmeto* (8), crediderunt, Deum saepius usum fuisse honorum angelorum ministerio, ut severitatem suam in impios exerceret. Sic s. *Ambrosius* (9), ait: *Angelos gemere*, cum a Deo *adhibentur poenarum et excidiorum ministri*. Similiter *Theodoretus* (10) ait, quando hae poenae in psalmis vocantur *immissiones per angelos malos*, eos vocari *malos*, non quod mali sint natura, sed quod adhibentur ad mala hominibus in-

(1) Loc. cit.

(2) Comment. in Isai. c. 40, v. 16.

(3) In IV. Reg. c. 19, q. 28.

(4) Isai. c. 57, v. 36.

(5) Exod. c. 12, v. 29.

(6) Psalm. 77, v. 49.

(7) L. 8 contra *Celsum*.

(8) Comment. in psalm. 77, v. 54; et in Proverb. c. 17, v. 14.

ferenda; quod ipsum alibi (11) repetit.

AD TERTIUM R. *Sennacheribum* non fuisse occisum ab angelo ad inferendam ei maiorem poenam, ut *Abulensis* (12) luculenter ostendit. Nam *Sennacherib* inprimis punitus est in damno, quod pertulit perditio exercitu: dein in ignominia, quam sustinebat in terra sua, cum iret illuc, amisso toto exercitu, fere solus: imo hebraei dicunt, tantum decem viros cum eo rediisse. Denique reservatus est ad poenam duriores et acerbiores, utpote occidendus a filiis suis (13).

AD QUARTUM R. Falsum est, quod huius ingentis stragis assyriorum scriptores ethnici non meminerint, licet mixtis, ut alias solent, fabellis; prout *Abulensis* (14) erudite demonstrat. Sic *Herodotus* fingit, hunc eundem *Sennacheribum*, quem dicit fuisse regem arabum et assyriorum, in Aegypto a sacerdote Vulcani fugatum, eoquod effusa subito vis soricum seu murium agrestium pharetras, arcus et habenas omnium militum una nocte obedisset. Verba *Herodoti* (15) sunt: « Cum *Sennacherib* arabum assyriorumque rex cum magnis copiis invasisset Aegyptum, tunc memorant, sacerdotem consilii inopem in coenaculum se contulisse, ibique apud simulacrum complorasse, quanta pati periclitaretur, eique inter lamentationem obrepisse somnum, et inter quietem visum astare Deum exhortantem, nihil ipsum molestiae passurum, si copiis arabum obviam iret: se enim auxilios ei missurum.

(9) Ep. 54 *Horontiano*.

(10) In psalm. 77.

(11) In Ieremiam c. 49, v. 14.

(12) In IV. Reg. c. 19, q. 50.

(13) IV. Reg. c. 19, v. 37.

(14) Ibid. q. 26.

(15) In *Euterpe* l. 2.

His insomniis fretum sacerdotem sumptis aegyptiorum his qui secum vellent, castra in Pelusio posuisse, etc. Et cum pervenissent noctu, effusam ipsis hostibus vim agrestium murium, qui illorum tum pharetras tum arcus, tum scutorum habenas obederunt, ita ut postera die hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis. » Ubi *Herodotus* pro Iudaea substituit Aegyptum, pro rege assyriorum regem arabum et assyriorum, pro rege *Ezechia* sacerdotem, pro precibus ab *Ezechia* ad verum Deum fuis lamenta apud simulacrum seu idolum prolata, pro vero Deo *Vulcanum*, pro angelo exterminatore mures. *Berosus* autem, qui chaldaicam scripsit historiam, rem hanc aliter teste *Abulensi* (1) narrat. Dicit enim, quod *Sennacherib* rex assyriorum castrametatus sit in omnem Asiam et Aegyptum: reversus autem a praeliis aegyptiacis ad Hierosolymam inveniit exercitum, quem ipse *Rabsaci* dimiserat in periculo pestilentiae constitutum. Deus enim, ait, morbum populo immiserat.

71. QUARES LXIV. *An omnia, quae* (IV. Reg. 20, v. 8, 12) *de horologio regis Achaz aegrotantis narrantur sint verisimilia?* Antequam respondeam, observo, quod auctor *des Questions sur l'Encyclopédie*, cuius verba cl. *Bullet* (2) recitat, dicat quidem, se non negare miracu-

(1) Loc. cit.

(2) Réponses critiques, tom. 2, n. 55, mihi pag. 184.

(3) Loc. cit.

(4) Tom. 2 nov. form. theol. bibl. q. 59, pag. 125-129.

(5) Eoist. ad s. *Polycarpum*, ubi de *Apollophane* sophista ita scribit: Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque veraciter cognoscimus esse omnium Deum, admirando eius, a quo cuncta subsistunt, admirabilem potestatem? Quandoquidem ab ipso sol et luna, potentia, statuque mirabili, simul cum hac rerum universitate, ad omnimo-

lum de retrogradatione solis in horologio *Achaz*, sed certissimo illud credere: attamen varias difficultates quae incredulis ad oppugnandam s. Scripturam inservire possent, in medium profert. Ac imprimis ait, HOC MIRACULUM DEBUISSE TOTI ORBI TERRARUM PATERE, CAUSAMQUE FUISSE MAXIMAE IN EO PERTURBATIONIS; CUM CURSUS STELLARUM SUBITO FUERIT MUTATUS, SICQUE OMNIA CALENDARIA PRAESERTIM IN DESIGNANDIS ECLYPSIBUS SOLARIIBUS ET LUNARIIBUS A VERO NECESSARIO ABERAVERINT. Sed R. Absolute loquendo necesse non est admittere, quod hoc prodigium totus orbis terrarum observaverit. Nam *Vatablus*, *Paulus Burgensis*, et *Arias Montanus* censent, solam umbram in horologio regis *Ezechiae* retrocessisse, non vero ipsum solem, atque hanc sententiam probabilem putant *Emmanuel Sa*, *Gaspar Sanctius*, eandemque multis argumentis stabilire conantur cl. *Bullet* (3), et *Weissenbach* (4): *Caietanus* vero cum quibusdam aliis admittit quidem, ipsum solem retrocessisse, sed subito et quasi in momento, et mox iterum ad motum ordinarium rediisse. Supposita autem hac explicatione iterum non sequitur, hoc miraculum ab omnibus vel pluribus terrigenis observari debuisse: uti expendenti hanc rem facile patebit. Denique iuxta s. *Dionysium* (5),

dam immobilitatem (tempore *Iosue* solem stare iubentis) *redacta sint*, nec non ad integri diei spatium, in iisdem universa signis constiterint; vel, quod amplius est, etiam cunctis orbibus primariis, qui caeteros complexu suo continent, more suo gyrantibus, ea quae illorum complexu continebantur (scilicet sol et luna), non una in orbem circumlata sint (alludit nimirum s. *Dionysius* his verbis ad duplicem illam opinionem circa miraculum solis ad imperium *Iosue* stantis, quarum una est, quod quiescentibus tunc sole et luna, etiam caetera cuncta coelestia corpora quie-

et *Tirinum* (1) ipse sol retroactus fuit, non in momento, sed motu successivo ordinario, ac proin ita, ut etiam aliae gentes extra Iudaeam positae hoc miraculum advertere debuerint, et adverterint, cuius rei non obscura indicia (2) habemus. Inde tamen non sequitur, quod perturbatio in cursu astrorum, aut in calendariis etc. orta sit. Nam iuxta systema copernicanum, seu terrae motae circa solem tunc cum sole simul totum systema solare seu planetarium, ut vocatur, retrocessit: iuxta systema vero ptolemaicum et tychonicum cum sole omnes orbis coelestes cum omnibus planetis et astris retrocesserunt: sicuti stante sole sub *Iosue* stetit et luna (3) to-

verint, seu ut s. *Dionysius* loquitur, ad omnimodam immobilitatem redacta sint. Alia, quod sole et luna tunc stantibus, tamen alia coelestia corpora motu solito mota, seu more suo gyrata fuerint: *Quin et alius quidem dies continuatione fere triplo longior effectus* (tempore regis *Ezechiae* aegrotantis), et totis viginti horis universum - motu contrario - admirandis retrogradationibus retrogressum ac reversum sit; vel ipse sol cursu suo - motum suum ad decem horas contractum, denuo gradu retrogrado, aliis item decem horis novam quandam semilam inveniundo, repetierit (alludit s. *Dionysius* denuo ad duplicem illam opinionem, de qua paulo ante diximus. Quemadmodum enim duplex opinio est circa stationem solis et lunae tempore *Iosue*, an scilicet omnia alia coelestia corpora simul steterint cum sole et luna, an illis duobus stantibus, ipsa continuo perrexerint moveri: sic circa istam retrogradationem solis tempore *Ezechiae* aegrotantis sunt duae opiniones: una, quod alia coelestia corpora simul cum sole regressa fuerint. Alia opinio, quod non, sed quod sol solus gradu retrogrado retrocesserit): *Quod utique babylonis iure merito consternavit, et eos Ezechiae, tanquam Deo suppari, similive, atque hominibus praestantiori, sine pugna subegit...* Sed omnino dicit *Apollophanes*, ista minime vera esse; attamen id vel maxime sacris persarum monumentis celebratur; atque etiam magi triplicis mythrae, sive solis memoriam recolunt, i. e. in historiis per-

tumque systema solare, seu iuxta ptolemaicos et tychonicos omnes orbis coelestes cum suis planetis et syderibus, ut alibi (4) diximus. Supposita autem explicatione, quam *Abulensis* aliique interpretes (5) tenent, eadem semper habitudo inter solem et reliquum systema planetarium mansit ac per consequens nulla perturbatio seu in cursu corporum coelestium, seu in eclipsis etc., orta est. Aliud est, si quis teneat alteram opinionem (6), quae censet, solum solem et lunam tempore *Iosue* stetisse, et solum solem tempore *Ezechiae* retrocessisse, reliqua vero corpora coelestia solitum suum cursum continuasse. Nam iuxta hanc opinionem praeter miracu-

sarum, et memorabilibus scriptis sacerdotum illorum istud narratur, atque etiam magi, i. e. sapientes memoriam recolunt solis triplicati, i. e. diei illius tempore *Ezechiae* quasi tam longi, ut sunt tres dies artificiales, sicque sol quasi triplex fuit in effectu.

(1) Comment. in IV. Reg. c. 20, v. 9.

(2) Nam in s. Scriptura II. Paralip. c. 52, v. 54, mentio fit de legatione principum Babylonis, qui missi fuerant (ad regem *Ezechiam*), ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram. Portentum autem hoc non potest esse aliud quam regressio solis, ut communiter docent interpretes: nam caedes exercitus *Sennacherib* posterius, scilicet ut *Cornelius a Lap.* comment. in Isai. c. 38, v. 8 ait, secundo abhinc anno contigit. Ergo etiam in Babylone visa est regressio umbrae, orta ex regressione solis: cuius miraculi causam esse in Iudaea cum babylonii ex rumore percepissent, eo legatos miserunt, qui eam cognoscerent. S. *Dionysius* quoque, ut in praecedente nota (3) vidimus, testatur, persas in memoriam tanti prodigii triplicem solem celebrare, puta progredientem, regredientem, ac rursus progredientem.

(3) *Iosue*, c. 10, v. 13.

(4) P. 2, sect. 4, q. 4.

(5) *Cornelius a Lap.* comment. in Isai. c. 38, v. 8. *Queritur quinto*; item *Tirinum* comment. in IV. Reg. c. 20, v. 9. *Petes secundo*.

(6) Vide pag. 224, notam (3).

lum stationis aut regressionis solis etc., debet admitti aliud miraculum, quo perturbatio ex hac solis lunaeque, aut solius solis ab aliis corporibus coelestibus distractione naturaliter necessario oritura, impedita fuerit.

Caeterum nostri officii est, ex hoc miraculo tempore *Ezechiae* (sicut ex illo tempore *Iosue*) patrato agnoscere, et admirari Dei ter optimi maximi potentiam. Miraculum adfuisse negaverit nemo (1) probe orthodoxus, sive id factum fuerit in umbra duntaxat horologii achaziani, sive in sole ipso, et qui-

(1) Non est audiendus Spinoza, qui in tractatu theologico-politico, c. 2, regressum umbrae in horologio achaziano non prodigio, sed casui tribuit. Nubes enim, inquit, e solis regione tum pendebat, huiusque radios exceptos in stilum horologii solaris ita regerebat, ut umbra in oppositum converteretur. Itaque ex Spinozae mente duntaxat ad captum vulgi recessit umbra; quia nil dum de parrheliis resciebant illi homines. Ita ille. Verum haec explicatio inprimis est contra sensum omnium fidelium et ss. Patrum, qui supponunt, grande hic factum esse miraculum simile illi, quando sol et luna ad imperium *Iosue* steterunt. Vide textum s. Dionysii pag. 224, nota (3) allegatum. Similiter s. Gregorius Nazianz. diem illum *Ezechiae* miraculo auctum agnovit oratione 19 in laudem patris, ubi de sanitate divinitus illi restituta sic loquitur: « Quae quidem res miraculo illo, quod in *Ezechia* editum est, meo quidem iudicio nequaquam inferior haberi debet; quem cum in morbum incidisset, et preces adhibuisset, Deus vitae incremento donavit; idque per retroactam... graduum umbram indicavit. » Et s. Augustinus l. 24 de Civ. Dei, c. 8, inquit: « Nos autem in divinis libris legimus, etiam solem ipsum et stetisse, cum hoc a Domino Deo petivisset vir sanctus Iesus Nave, donec coeptum praelium victoria terminaret; et retrorsum rediisse, ut regi *Ezechiae*, quindecim anni ad vivendum additi hoc etiam prodigio promissioni Dei significarentur adiuncto. Sed ista quoque miracula, quae meritis sunt concessa sanctorum, quando credunt isti facta, magicis artibus tribuunt. » Item *Theodo-*

dem vel subito, vel successive et lente retrocedente. Si autem curiosius scire aves determinatum modum, quo hoc miraculum patratum est, audi s. *Io. Chrysostomum* (2) de mirabilibus Dei operibus ita loquentem: « Quomodo autem factum est, volo scire, immo vero nec volo quidem scire modum, neque enim (solum) potest fieri, sed factum credo: eum autem qui fecit, adoro. Plurima enim eius facta sunt occulta et arcana... Naturae enim rerum semper est Dominus, qui fecit naturam, non ut producat quae non sunt, sed ut mutet. » Haec tamen

retus q. 52, in IV. Reg. de signo *Ezechiae* divinitus dato sic loquitur: « Solis autem miraculum pervasit universum orbem terrae. Omnibus enim fuit cognitum, solem retrocessisse. Quamobrem rex babiloniorum... misit legatos et dona ad regem iudaeorum, etc. » Igitur explicatio Spinozae recessum umbrae in horologio achaziano non prodigio, sed casui tribuentis est contra sensum fidelium et ss. Patrum, ac prorsus gratis et sine solido fundamento conficta, cum nullum prorsus vestigium de illa nube vel parrhelio, de quo Spinoza meminit, seu in s. Scriptura seu alibi deprehendamus; sed potius ipse rex *Ezechias*, illum umbrae recessum tanquam signum, seu grande miraculum petiit, et propheta *Isaias* tanquam tale promisit, omnibusque persuasum fuit, hoc signum divinitus, seu miraculose datum esse precibus, et ad finem pollicitationi de restituenda sanitate facienda imperatum: prout patet legenti sacrum textum IV. Reg. c. 20, v. 8-12, qui ita sonat: *Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit: et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias; facile est umbram crescere decem lineis; nec hoc volo ut fiat; sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum; et reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.*

(2) In psalm. 138.

ignorantia docta non impedit, quominus nobis liceat dicere, potuisse hoc miraculum fieri hoc illo modo, suspensis his illisve naturae legibus, salva semper liberrima Dei voluntate, et sapientissima, quae infinitis agere potest modis, omnipotentia.

72. Memoratus encyclopaedista aliam quoque difficultatem de horologio achaziano in medium profert his verbis: DE HOC HOROLOGIO MULTUM DISPUTATUM EST. ERUDITI DEMONSTRARUNT, QUOD IUDAEI ANTE CAPTIVITATEM BABYLONICAM (miraculum horologii achaziani multis annis ante hanc patratum est) NULLAM NOTITIAM SIVE DE ALIQUO HOROLOGIO, SIVE DE GNOMONE HABUERINT.... NOTUM EST QUOD II IN SUA LINGUA NEQUIBEM VOCEM HABEANT, QUAE HOROLOGIO AUT GNOMONEM... SIGNIFICET, ET IN TEXTU LIBRI REGUM HOROLOGIO REGIS ACHAZ hora lapidis VOCATUR. R. Et quaero ex encyclopaedista, quid per haec verba probare intendat? An quod tempore regis Achaz nullum in Iudaea, et ne quidem in aula regia horologium aut gnomon fuerit, adeoque quod regressus umbrae in horologio achaziano sit confictus? Verum sic manifeste non solum s. Scripturae, sed sibimet ipsi contradiceret, cum ipsemet protestetur (1), se miraculum de retrogradatione umbrae in horologio achaziano firmissime credere. Itaque ut contradictionem evitet, de-

(1) Vide supra ad initium num. 71.

(2) Equidem sciothericorum seu solarium horologiorum primus inventor perhibetur fuisse *Anaximenes Milesius*, qui post regem Achaz annis fere 196, vel 172, vixisse dicitur. Verum *Clavius* l. 1 gnomonices pag. 7, ubi de inventoribus sciothericorum horologiorum, eorumque scriptoribus scribit, expresse negat, primum horum inventorem fuisse *Anaximenes Milesium*, et ait: *Quare rationem hanc horologiorum a primis illis patribus (quod et*

bet nobiscum dicere, desuisse quidem tunc iudaeis appellationem et vocem *horologium*, non autem ipsam rem, praesertim in aula; quae Chaldaea, vel Aegyptio, ubi iam tum horologia solaria (2) vigeant, afferebatur; quamvis incertum et inter auctores controversum (3) sit, cuius formae seu figurae horologium achazianum fuerit. Caeterum eiusmodi horologium aut ars tale conficiendi potuit ex Chaldaea facile pervenire in aulam regiam *Achazi*, cuius filius erat *Ezechias* (4). Nam rex *Achaz*, cum a regibus Israel et Syriae Hierusalem obsideretur, auxilium a *Theglathphalasar* rege assyriorum petiit et obtinuit (5). Qua occasione ex foedere inter assyrios et iudaeos inito, hi facile venire poterant in notitiam construendi horologia solaria, apud assyrios seu chaldaeos iam usitata. Quod autem encyclopaedista addit in sacro textu libri Reg. horologium *Achaz* appellari HORAM LAPIDIS, in hoc decipitur. Nam in textu originali seu hebraeo horologium *Achaz* vocatur

gradus Achaz במעלות אהז quia scilicet lineae in horologio solari designatae totidem gradus sunt, per quos umbra velut per scalam successive ascendit vel descendit. Videtur encyclopaedista textum hebraeum confudisse cum paraphrasi chaldaica, quamvis etiam in hac horologium *Achazi* non *hora lapidis* (ut

de aliis scientiis affirmat *Iosephus* in lib. de antiquitate) originem traxisse crediderim, eamque sensim ad aegyptios, ab his ad graecos, a graecis denique ad latinos pervenisse.

(3) Vide *Calmetum* in dissertatione de retrogradatione solis in horologio *Achaz*, praefixa eiusdem commentario in l. IV. Reg., aut eiusdem dictionarium bibl. verbo: *horologium*.

(4) IV. Reg. c. 16, v. 20.

(5) Ibid. v. 8-10.

encyclopaedista erronee dicit), sed lapis horarum appelletur hoc modo:

וצלי ישעיה נביא קדם יי ואתיבית
טולא בצורה אבן שעיא דנחתת במסקנא
: דאהז שמשא לאהורוהי עכר שעין :

Et oravit Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per figuram lapidis horarum quibus descenderat in ascensu Achaz sol retrorsum decem horis.

73. Porro idem encyclopaedista ita pergit: *Sed praecipua quaestio est, qua ratione rex Ezechias possessor huius horologii solaris dicere potuerit, FACILE ESSE, UMBRAM CRESCERE DECEM LINEIS, cum tamen aequae difficile sit, umbram contra ordinarium naturae cursum sive antrorsum crescere, sive retrorsum moveri. Unde ista propositio prophetae: VIS UT ASCENDAT UMBRA DECIM LINEIS, AN UT REVERTATUR TOTIDEM GRADIBUS? Aequae heteroclita et inepta fuit, ac responsio regis.... rex et propheta haerebant ambo in crasso errore.* R. I. Ex hac encyclopaedistae instantia plus non sequitur quam quod rex Ezechias in rebus mathematicis parum fuerit versatus (quod utique concedi potest), et iuxta opinionem vulgi putaverit, facilius esse umbram secundum coeptam iam viam antrorsum moveri, quam contra ordinarium morem retrorsum verti. R. II. Ad summum sequeretur, quod et rex petierit, et propheta promiserit motum umbrae non subitum et velut momentaneum (aeque enim difficile vel miraculosum est, umbram momentanee decem lineis crescere,

(1) In Isai. c. 58, v. 8.

(2) Tirinus, Abulensis, Sanctius, Menochius.

quam reverti); sed successivum. Tunc enim omnino verum est, quod rex dixit, scilicet facile seu naturale esse, quod umbra decem lineis successive crescat, sed difficile i. e. contra consuetum naturae ordinem est, quod revertatur retrorsum decem gradibus. Unde cl. Weitenauer (1) concludit, et regem et prophetam non momentaneam sed successivam mutationem umbrae intellexisse. Idem auctor ibidem cum aliis (2) contendit, decem lineis seu gradibus, quibus regressa est umbra, non designatas fuisse totidem horas, sed tantum totidem semihoras. Sic enim omnia de hoc miraculo retrocedentis umbrae facilius explicantur. Verum satis de his.

74. QUARES LXV. *Quomodo concordat illud (IV. Reg. 25, v. 7): VINXIT (Nabuchodonosor rex Sedeciam) CATENIS, ET ADDUXIT IN BABYLONEM, cum illo (Ezech. 12, v. 13): NON VIDEBIT (Sedecias) TERRAM CHALDAEORUM. An Sedecias adductus Babylonem non vidit terram chaldaeorum?* R. Utrumque est verum. Nam in Babylonem adductus est Sedecias regemque Nabuchodonosorem vidit in Reblata, prout, ei praedixit Ieremias (3). Neque tamen vidit Babylonem, quia eo ingressus non est, nisi effossis prius oculis (4). Narrat Iosephus (5), Sedeciam regem, postquam Ieremias praedixisset, adductum illum iri in Babylonem, cum haec duo putaret, simul conciliari non posse, utrumque vaticinium et Ezechielis et Ieremiae contempsisse. Sed revera, ut vidimus, Deus utrumque vaticinium complevit.

(3) Cap. 34, v. 3, et c. 39, v. 5-8.

(4) Ierem. c. 59, v. 7, et c. 52, v. 11.

(5) L. 10 antiq. c. 11.

SECTIO II.

DE DUOBUS LIBRIS PARALIPOMENON

Geminos Paralipomenon libros una contextus serie iungebant olim hebraei; hodie vero in bibliis pro more nostro eos distinguunt; fors ideo, ut concordantiis, quas a latinis acceperunt, commode uti possint. Totum opus inscribunt דברי הימים *Dibre Haiamim* i. e. *verba dierum*, quasi dicas diarium sive chronicon res gestas per singulos dies, i. e. per singula tempora et saecula breviter enarrans. Spectari enim hi duo libri possunt velut brevis quaedam epitome universalis historiae ab Adam usque ad finem captivitatis babilonicae; praecipue vero videntur compendium esse annalium, qui frequenter in LL. Regum (1) citantur hoc modo: *in libro verborum dierum regum Iuda vel Israël.* Nos ambos illos libros graeco vocabulo a LXX interpretibus accepto παραλειόμενα appellamus, h. e. *praetermissa*, quia quaedam in iis supplentur, quae in praecedentibus Scripturae libris, praesertim regum, praetermissa sunt, vel non nisi leviter tacta. Praecipuus tamen auctoris horum librorum scopus non eo spectare videtur, ut supplementum caeterorum s. Scripturae librorum daret; sed potius, ut sub ipsis legentium oculis exhiberet, quis olim ante captivitatem babilonicam familiarum status fuerit, quae haereditas, quae munera, genealogiae, familiae et ordines sacerdotum et levitarum:

res enim erat maximi post captivitatem momenti, ut singulis vetus ordo, prima munera, et avita haereditas iuxta veterum tabularum normam constaret. Denique si petas, quisnam libros Paralipomenon composuerit? R. Auctor est incertus. Alii Esdrae tribuunt, alii Ieremiae; certi nihil habetur ex Scriptura. Verosimilior tamen est sententia, quod Esdras ex publicis analibus sive diariis eos divino dictante Spiritu conscripserit, quibus tamen posteriores prophetae aliqua addiderunt. Sic genealogia Zorobabelis ad 12 usque generationem (2) deducta, ab Esdra prius mortuo scripta esse non potuit, cum duodecim generationes sane spatium, ut minus, 300 annorum exigant.

CAPUT I.

De libro I. Paralipomenon.

75. QUARES I. *An chronotaxis regum Iuda in LL. Regum et Paralipomenon ubique concordet? Item an LL. Paralipomenon etiam cum aliis historicis V. T. libris consentiant?* R. Ad utrumque quaesitum affirmative. Et quidem concordiam chronotaxeos regum Iuda in libris Regum et Paralipomenon, in schemate accurate exhibet *Hermannus Goldhagen* (3). Quomodo vero sibi respondeant anni regum Iuda et anni regum Israël, idem auctor (4)

(1) III. Reg. c. 14, v. 19; et c. 15, v. 7; et IV. Reg. c. 1, v. 18; et c. 8, v. 23, ac alibi saepius.

(2) I. Paralip. c. 5, v. 19, etc., ubi duodecim generationes exprimuntur his

nominibus: Zorobabel, Ananias, Phaltias, Hjesias, Raphaia, Arnan, Obdia, Sechenias, Semeia, Naaria, Elioenai, Oduia.

(3) Introd. in s. Script. part. 2, n. 79.

(4) Ibid. p. 3 ad finem.